

*Quis expeditiis p̄saco suum, q̄i p̄.  
Corvos quis olim concavum salutare,  
Picaeque docuit nostra verba conari?  
Magister artis, ingenique largitor  
Venter negatus arifex sequi voces, &c.*

Nec minus bene Manilius astronom. r. dum ostendit, quam pulchra sint, quæ ars nobis suggessit, quam ad paupertatem refert,

*Artem experientia fecit*

Manilius

*Exemplo monstrante viam, speculatæque longe  
Depren dit tacitis dominantia legibus astra,  
Et totum alterna mundum ratione moveri:  
Faciliorumque voces, cæcis discernere signis.  
Nam vndis ante illos nullo discrimine visa  
In speciem conuersa operum ratione carebat,  
Et stupescit a novo pendebat lumine mundi.  
Tum velut amissis moerens, tum læta renatis  
Syderibus, variisque diei, incertæque noctis  
Tempora, nec similes umbras, nec sole regresso.  
Iam propiore suis poterant discernere casus.  
Necdum etiam, auctas solertia fecerat artes,  
Terræque sub rudibus cessabat vasa colonis.  
Tuncque in desertis habitabat montibus aurum,  
Ignotisque nonos pontus subduxerat orbis.  
Nec vitæ pelago, nec ventis credere vota  
Audebant, sed quisque satis se nosse putabat.  
Sed cum longa dies acuit mortalia corda  
Et labor ingenium miseris dedit, & sua quemq;  
Aduigilare sibi iussit fortuna premedo  
Seducta in varias certantur peborata curas.  
Et quæcumque sagax sentando reperit usus,  
In commune bonum commentum læta dedere.  
Tunc & lingua suas accepit Barbara leges,  
Et fera diuersis exercita frugibus arua,  
Et vagus incertum penetravit nauita Pontum.  
Pecun & ignotis itiner commercia terris.  
Tum belli, pacisque artes commenta vetustas.*

Quod paupertas artes repererit.

Siverò è contrario mala numerare velimus, quæ diuitiæ attulerunt, mortum summam corruptelam audies, vt ij suo damno comprobantur, qui vixerunt ante diluuium: ita etiam Brasiliæ plurimi, quia annona abundant, ventri penitus mancipati, atque omnibus vitiis inquinati sunt: Hos autem malitiæ fomites otium videlicet, & abundantiam abscondit paupertas, & mentem innocuis cogitationibus occupans, totum orbem omni commodorù genere, & omnibus ornamentis implet, quicquid enim pulchri, & admirandi cernitur, paupertatis est opus. Quis verò ex illa paupertate, quam omnes fere mortales ita fugiunt, & odio plusquam Natuniano prosequuntur, tot tantæque bona præter naturæ totius auctorem elicere potuit?

Vultuum diuersitas.

Inuat autem ad vultuum diuersitatem accedere, sine qua neque iustitia inter homines conseruari, neque Reipub. vilius forma consistere posset, sed maxima rerum omnium perturbatio facile nasceretur, quomodo enim mariti suas vxores, parentes suos liberos, creditores suos debitores, amici inimicos, subditi principes, magistratus impios, & maleficos cognoscere? Nunquid omnia plena essent adulteris, incestibus, caedibus, & omni scelere: nec enim signum aliquod externum sufficeret, quale iudæi nunc inter Christianos degentes gestare solent, quandoquidem ad libitum deponi posset, Ideoque nullo indicio crimen vllum deprehenderetur, quilibet enim negaret se reum esse.

Exemplum istius rei insigne nostra tulit ætas in

illo homine, qui se verum alienæ vxoris, maritum finxit, adeoq; & parentes, & totam viciniam, & ipsam vxorem sæpe tam vultu, quam verbis deceperit, cui nomen Martinus Guerre, vt in eo processu videre est, qui de eo circumferretur, nec sine veritate, & volupe legitur.

Hæc igitur vultus, vocisque diuersitas nullius alterius, quam diuini numinis effectus esse potest, cum ad hoc inducta sit, vt iniuriæ caueatur, & iustitia conseruetur.

Quia verò sæpe res in obscuro agitur, nec hominem videre possumus, quem alloquimur, aut in eo discernendo acies obtusior decipi potest, non minorem Deus vultuum diuersitatem induxit, vt gemino teste difficilius hallucinaremur. Huc etiam Scripturarum gestuum, imo & gressuum varietas reuocari potest, tanta est enim in iis omnibus diuersitas, vt portentum esse videatur, cum aliquis inter duos homines discernere nequit, si ad prædicta omnia vel minimum attendit.

Vitam beatam Augustinum audies, dum istam vultuum diuersitatem miraculum appellat. de ciuit. c. 8. Vbi contendit aduersus paganos Deum aliquid in rebus facere posse, quod homines naturaliter experiri nequeunt. Non ergo, inquit, de notitia naturarum caliginem sibi faciunt infideles, quasi nõ possit in aliqua re diuinitus fieri aliud, quàm in eius natura per humanam suam experientiam cognouerunt, quamuis & ipsa, quæ in rerum natura omnibus nota sunt, non minus mira sint, essentque stupenda considerantibus cunctis, si solerent homines mirari nisi rara. Quis enim consulta ratione non videat in hominum innumerabili numerositate, & tanta naturæ similitudine valde mirabiliter sic habere singulos singulas facies, vt nisi inter se similes essent, non discernerentur species eorum ab animalibus cæteris; & rursus nisi inter se dissimiles essent, non discernerentur singuli ab hominibus cæteris. Quos ergo similes confitemur, eisdem dissimiles inuenimus. Sed mirabilior est consideratio dissimilitudinis, quoniam similitudinem iustius videretur exposcere natura communis. Et tamen quoniam quæ sunt rara, ipsa sunt mira, multo enim amplius admiramur quando duos ita similes reperimus, vt in eis discernendis aut semper, aut frequenter erremus. Lege totum caput, in quo præsertim sequens notanda sententia. Sicut ergo non fuit impossibile Deo quas voluit institueret, sic ei non est impossibile in quicquid voluerit, quas instituit mutare naturas.

Verùm nunquid audio nostros Atheos respondentes illam varietatem ad casum referendam esse; Itane cur igitur fera, aues, animalia, herba, planta, &c. non eam inter se varietatem obseruant? Nunquid casus idem in illa omnia, quod in homines exercet imperium? Si casu, cur non rarè contingit illa diuersitas? nam casus est rarus quidam, & extrordinarius casuum concursus: & quod fit casu, non est perpetuum, neque frequens, cum tamen prædictæ varietates semper contingant. Rursus mutit aliquis, id in variz imaginationis, variz que materiæ naturam refundendum esse, esto, verùm quis ita disposuit? quis ita naturam hominis à belluina ferocitate discreuit, vt solus homo ita varius, ita distinctus esset? nunquid providentia diuina, quæ sciebat nullam iniustitiam, nullam crimina, nullam flagitia, nulla merita inter belluas futura esse. Agnosce igitur Athee creatorè tuum, qui eam materiã, eã formã,

Occurrit duabus A theorum responsionibus.

illas